

26. Si **הַיִּשָּׁר** *rectum in oculis ejus (Domini) feceris*: & Deut. XII, 28. *eò quod facias bonum* **וְהַיִּשָּׁר** & *rectum in oculis Domini DEI tui*. Dicitur porrò de personis, & quidem tam de DEO, Deut. XXXII, 4. *Justus* **וַיִּשָּׁר** & *rectus est ille*; quam de hominibus: sic Achifus ad Davidem dicit, I. Sam. XXIX, 6. *Vivit Dominus,* **כִּי־יִשָּׁר** *quod rectus tu & bonus in oculis meis*. Sic canit Vates sanctus David, Psalm. XXXIII, 1.

*Exultate justi in Domino,
Rectis incumbit pulchra laus.*

Sic generatio **יְשָׁרִים** *rectorum* dicitur benedicenda, Ps. CXII, 2. *tentorium* **יְשָׁרִים** *rectorum* florens, Prov. XIV, 11. Doctissimus Coccejus in *Opp. Posth. ad cap. VIII. Jobi p. m. 132.* observat, quod **יִשָּׁר** *καθαρὰν συνείδησιν* & ipsam virtutem notet, quatenus *recta* inter extrema via ad DEUM contendit, & cum ejus lege, quæ est norma omnis boni, accurate convenit. Inprimis autem præter jam adductas significationes observandum, quod demortui pariter hoc titulo sint honorati, Num. XXIII, 10. dixit Bileamus: *Moriatur anima mea morte* **יְשָׁרִים** *rectorum, & sit novissimum meum, sicut ipsorum*. Ex consideratione itaque hujus Etymologiæ id ipsum perspicue intelligimus, *sepher haijaschar*, denotare narrationem, de aliquo viro integro, justo, & veraci, uti *liber bellorum Domini* significat enarrationem de bellis Domini, & *Sepher hamikna*, enarrationem de emtione Jer. XXXII. v. 11. 12. 14. 16.

§. III.

Secundum fundamentum, ex quo judicium de *Libro Recti* pronunciamus, sunt circumstantiæ, quas 2. Sam. I. & Josuæ X. legimus, quibus in locis solummodo *sepher haijaschar* occurrit. Videamus, quas Libri Samuelis Autor nobis offerat circumstantias. Nuntiatur ibi Davidi, Saulem & Jonathanem in prælio cum Philistæis commisso, superatos & mortuos esse; quo audito David threnos summo cum animi mœrore canere cœpit. Versiculo enim 17. hujus Cap. legimus:

mus: